

modum: Quia hoc tempore actu entia existunt, necessario sequitur, aliquid exstitisse ab æterno, alioquin res jam existentes a nihilo esse ortas statuendum esset, quo nihil absurdius dici potest; inprimis cum impossibile sit, aliquo momento nil exstitisse, & tamen, ut aliquid existeret, effecisse. Id autem, quod ab æterno exstitit, non potuit non esse a se, quale ens vocamus *Deum*.

II. *ex mentis humanae existentia* ita ratiocinando: Quoniam animus hominis propriae existentiae ejusque continuatae certissime conscius est, multasque & egregias intelligit perfectiones, quas tamen in se non reperit, sequitur, mentem nostram a se ipsa haut esse. etenim si vim se ipsam producendi habuisset, procul dubio sibi omnes, quarum ideam in se habet, perfectiones concessisset; siquidem qui potest majus, videl. *se efficere substantiam*, potest etiam minus, sc. *eas perfectiones, quas novit, in se producere*. Ergo mens hominis est ab alio ente, id autem, quod est mentis causa, sibi ipsi esse dare potuit, ens autem a se existens dicimus *Deum*.

III. *ex materiae existentia* ita concludendo: Cum materia sit res *mere inactiva*, haut possibile est, ut sibi ipsi existentiam largiri potuerit, quandoquidem non solum ingens vis & activitas requiritur in re, quæ se ipsam existere fecit, sed illa vis productiva infinita esse debet; cum enim *esse a non esse* infinite distet, ens illos terminos ad unum reducens, immensa ut sit instructum potentia necesse est. Inde patet, quod neque in
mente